

Q. D. O. M. B. V.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA,
THEOREMATA ALI-
QUOT EXHIBENS
SELECTIONIORA;

QUAM

Divino Auxiliante Numine,

*Ex decreto & consensu unanimi Venerandæ Facultatis
Philosophicæ in Regia & florentissima universi-
tate Fennorum, quæ Aboæ est*

SUB DIRECTIONE

PRÆCLARISSIMI VIRI,

DN. M. JACOBI FLACHSENI,
ibidem Metaph. & Log. Professoris Ordinarii,
Præceptoris & Promotoris sui pl. honorandi.

*Pro gradu & Honoribus Magisterii in Philosophia obtinendis,
publica disquisitioni examinis loco submittit*

LAURENTIUS L. LITHOVIUS

O. Bothn.

Ad diem 9. Decemb. Anni M. DC. LXXI.

In Auditorio Maximo.

A B O Æ,

Excusa à PETRO HANSONIO, Acad, Typog.

Reverendissimo in Christo PATRI ac DOMINO,

DN. JOHANNI GEZELIO,

S.S. Th. Doctori celeberrimo, inclytæ Diœcesios

Aboensis Episcopo longè dignissimo, nec non Regiæ ejusdem Academiæ Pro-Cancellario Amplissimo, Mecœnati ac Patrono summâ reverentia æternum devenerando.

Admodum Reverendo VIRO,

Dn. PETRO Bång/ S.S. Th. Doctori & ejusdem

in Acad. Aboënsi Professori celeberrimo, nec non Pastori in Ecclesia Mariana fidelissimo, mecœnati ac Promotori summâ observantiâ colendo.

UT ET

Dn. M. JOHANNI FORSENIO, Pastori Ecclesiæ Lönjensis & vicinarum Præposito dignissimo, Nutritio & Fautori pl. honorando.

Dn. GUSTAVO L. LITHOVIO, Pastori in Limingo vigilantissimo, Fratri honorando.

Dn. GABRIELI L. LITHOVIO, V. D. Ministro in Limingo fideli, Fratri charissimo.

Dn. HENRICO J. LITHOVIO, designato Pastori in Uthlo/ Patruo magnoperè honorando.

Dn. HENRICO Sorbus/ Uthloæ Senatori prudentiss. & Civ. primario, Affini semper colendo.

Dn. GABRIELI L. LITHOVIO, V. D. Ministro in

S.

Si in eos, quos speramus nobis profuturos, non dubitamus officia conferre, quas les in eos esse debemus, qui jam profuerunt. Vos omnino ita de me meriti estis, ut, qua ratione possum, grato animo nomen Vestrum prosequi sim devotissimus, eoque magis, quo scio certius, Vestra in me nunquam claudi beneficia. Etsi igitur beneficiis provocatos, agros fertiles imitari deceat, qui multo quam acceperunt plus offerunt; ego tamen non omnino ab hac laude alienus mihi videor, si quam plurima Vobis debeam h. e. si submisso obsequio & officiis meis vel servari gratia, vel aliq. cumulariq. beneficia vestra poterunt. Ita animus quidem mihi non deest, sed quod aliqua saltem in re beneficiis vestris ex æquo respondere valeam, sperare non audeo. Has vero pagellas, si Nominibus vestris commendari, ut cupio, & simul testes esse grati erga Vos animi patiamini, veteribus novum beneficium, mihiq. in posterum quoq. ad desideranda plura animum addetis. Deus vos omnes conservet in Ecclesiæ Reipubl. & proprium Casusq. bonum. Sic voveo

Reverendiss. Tuum, Tuumq. Admod. Reverendiss. & Vestra omnium Nomina.

Submisit, reverenter & officiosè colens.

LAURENTIUS L. LITHOVIVS,

PRO O E M I U M.



Inæ Philosophia homines pueros & rudes esse: per eam vero viros & eruditos, vel sapientissimi Senecæ Testimonio perspicuum est, quod Ep. ejus 115. tale extat: *quamdium animus præceptis sapientiæ non dum imbutus, quid nisi similimi pueris sumus, quibus omne ludicrum in pretio est:* Cujus enim intellectus ignorantia tenebris nondum est repurgatus, quanto præstantius eum de rebus ferre judicium existimes, quam pueros qui nuces, talos & trochos affectant & æstimant. Facultas vero cognoscens dum sic ad errores rapitur, appetitivam quoq. ad errorum scopulos vehementer impingere necesse est: unde fit ut non secus ac pueri & turba iners, in his vitæ studiis, vel voluptates impensius amemus, vel opibus quocunq. ausu inhiemus, inq. vitiorum Syrtes præcipites feramur, dum umbra & opinio bonorum, rerum ignaris turpiter imponit. Philosophiæ proin tanto diligentior opera danda, quanto hæc hisce malis obicem ponere, eademq. evitare docet expeditius. Medelam corporis ægri nemo, sanæ mentis, negligit; anima corpore multo est pretiosior, in ejus sanandis morbis segnior est, studia qui posthabet philosophica. Longe ergo majorem censeo Philosophiæ esse dignitatem & excellentiam quam ut exilis ingenii commendatione æquari possit. Nec id hac vice mihi agendum duxi, Lectori saltem Candido & benevolo indigitare volui, Regias constitutiones & mandatum Venerandæ Facult. Phil. mihi impræsentiarum hanc imposuisse necessitatem, ut ex amplissimis non minus quam jucundissimis philosophiæ sepimentis aliqua deprømerem, quæ materiam examinis publici, cui me accingo, constituere possent: eum ergo in finem Theoremata sequentia, candidæ philosophantium censuræ submitto, & Deum sapientiæ datorem rogo, ut intellectum suo splendore collustrare dignetur.

A 2

Theo-

THEOREMA I.

Philosophia est habitus intellectualis, circa cognoscibile naturale liberale primò occupatus, ad Summum hujus vitæ bonum homini acquirendum.

§ Suspirium verum est illud tritum: *quot capita tot sensus*; dum de Philosophiæ definitione disquiritur, utiq; est verillimum; tot namq; in Philosophorum, tam antiquorum quam recentiorum scriptis invenire licet Philosophiæ definitiones, quot ferè extiterit Philosophi; & licet aliqua illarum verbis tantum discrepent, plurimæ tamen sensu etiam differunt, quæ discrepantia inde orta est, quod quidam Philosophorum in alia atq; alia significatione voce Philosophiæ usi sunt; in adæquata vero latitudine sua spectatam Philosophiam, modo quo Theorema propositum indicat, rectè definiri existimo. Quod ex analysi ejus logicæ patebit. Propositio hæc est definitiva, in qua subjectum est *definitum*, prædicatum vero *definitio ipsa*. Ad utrumq; pauca. Quantum *ad subjectum*, constat facile unicuiq; vel parum literato, Philosophiam esse vocem origine græcam, & a Pythagora Scholæ Italicæ auctore, qui in Græcia magna, circa annum mundi, ut vult Keckermannus 3420 docuit, introductam, & vi vocis significare *studium tantum sapientiæ*; usu tamen loquendi dudum invaluit, ut non magis *studium sapientiæ*, sic namq; quivis Philosophiæ Tyro Philosophus salutandus esset, sed ipsam sapientiam denotet, atq; sic pro synonymis habentur voces *Philosophia, Sophia* seu *sepiencia*. Varias acceptiones vocis Philosophiæ scire qui desiderat, adeat Alsted. Encycl. lib. 2. c. 4. Suntq; in *duplici differentia*, quædam *inadequate* eaq; vel nimis *late* vel nimis *stricta*; *adequata* autem acceptio est & *propria*, qua accipitur pro complexu liberalium disciplinarum, earum quæ tribus facultatibus cæteris, contradistinguuntur, quomodo hic definita est.

§ Prædicatum propositionis seu *definitionem realem* quod concernit absoluitur illa *genere & differentia*. Genus con-

stitunt voces *habitus intellectualis*, quod genus esse legitimum patebit perpendenti, Philosophiam esse ex classe qualitarum & quidem unum ex habitibus; habitusq; cum sint in duplici differentia, rectè ei genus assignatur, *habitus intellectualis*, utpotè proximè superius.

§ Differentia desumpta est (α) *ab Objecto proprio* quod est *cognoscibile naturale liberale*, quæ differentia certi ponuntur limites Philosophiæ, distinguuntq; tum a S. Theologia & a cognoscibili Theologico, tum etiam ab artibus manuarijs, quæ licet sint etiam habitus intellectuales intellectum suo modo perficientes; cum tamen occupatæ sint circa cognoscibile illiberale, indignæ sunt quæ cum *Tolero* annumerentur Philosophiæ; namq; (ut ait Horstius) *post lapsum necessitatis gratia inventa sunt*. (β) A *Fine* qui *summum hujus vitæ bonum* est, in cognitione perfecta, & actione honesta positum. Per voculam *primò* distinguitur Philosophia à prudentia Juris & Medicina, quæ etiam occupatæ sunt circa cognoscibile naturale liberale, sed non primo, ut facit Philosophia; huic facit illud: Ubi definit Ethicus, ibi incipit Ictus, ubi definit Physicus ibi incipit Medicus. Pro bonitate ergo hujus definitionis licebit argumentari, *quod & sufficienter explicet naturam definiti, & cum definito adæquate pateat reciproceturq;* ut probatum.

THEOREMA II.

Philosophiæ usus in Theologia est maximus.

§ Licet dudum à viris excellentissimis sit evictum Philosophiæ usum in Theologia esse insignem, tamen cum huic assertioni semper possit objici, in hujus quoq; Theorematis ventilatione memet exercere volui. De hac assertionem Clemens Alexand. lib. 1. Strom. ita disserit: *Est ipsa sibi sufficit, nec opis aliena indiget Doctrina Salvatoris, cum sit potentia & sapientia ipsius Dei; tamen Græcica Philosophia si accesserit, non quidem validiorem facit veritatem, sed Sophisticos insultus ab ea amolitur & insidias omnes avertens, seps & lorica est vineæ Dominica*. Si testimonijs agendum esset, quam plu-

rima in eandem sententiam ab excellentissimis etiam Theolo-
gis pronunciata adducere possem; Verum aliã eundem est
viã. Veritas Theorematis ut eo commodius adstrui possit,
ambiguitas tum ex *subiecto* propositionis tum *predicatio* col-
lenda. *Philosophia* hic non intelligitur in *concreto*, sic namq;
significat vel varias variarum opinionum sectas, vel copiosam
myriadem quæstionum spinosarum in utramq; partem dispu-
tabilium, cujus modi Philosophorum vicem dolet Seneca Ep.
45: *Sed quantum temporis quibusdam verborum cavillatio eri-
pit & captiose disputationes, quæ acumen irritum exercent,
nectunt nodos & solvunt, instar puerorum, qui pilam percuti-
unt & reperiunt sterili voluptate.* Sed in *abstracto* qua-
lis in se & sua natura esse debet, prout est donum Dei in
perfectionem intellectus nostri, circa intellectionem veri, &
voluntatis, in actione virtutis concessum. Vox *Theologia* e-
tiam non accipitur pro qualicunq; notitia articulorum fidei
& religionis Christianæ veroq; Dei cultu, ubi magis laudan-
da piscatbria simplicitas, quam Dialectica subtilitas. Nec
primario pro tali rerum Theologicarum cognitione, quæ
simplicioribus Ecclesiæ ministris sufficere potest, ad quodam-
modo formandas conciones ad populum, sed tali Theologia,
qualem in Episcopo requirit Paul. Tit. 1. 9. *ut sit doctus &
exhortari in doctrina sana & eos qui contradicunt argue-
re.* Estq; Theologia hoc modo perfecta cognitio mysterio-
rum divinatorum, conjuncta cum potentia excellenti resistendi
contradicientibus. Per *usum* etiam in Theoremate intelli-
gitur usus legitimus, abusus vero seu usus illegitimus consistens
in prava & sinistra applicatione & interpretatione termino-
rum & regularum Philosophicarum remouetur. Ex quibus
sensum Theorematis satis superq; colligi posse existimo. Cir-
ca hanc assertionem tres potissimum reperiuntur opiniones:
1. Eorum qui Philosophiæ nimium tribuunt, magisterium in
Theologiam concedendo. 2. Eorum qui Philosophiæ mul-
tum detrahunt, clamitantes eam non tantum inutilem, sed
& perniciosam. 3. Eorum qui mediã incedunt viã statuentes
Philosophiam in usu legitimo constitutam duplici ratione in
Theologia utilem esse.

I. Pre-

1. *Preparando subiectum cognoscens hominem sc. mens*
enim per se tenebris est obsita & obtusa, nisi acuetur disci-
plinis Philosophicis, ut verum distinctius percipere & de fal-
so celerius accuratiusq; judicare possit.

2. *Illustrando ipsum obiectum cognoscendum*, non quidem
quod illud ratione sui illustratione egeat; est namq; *lucerna*
pedibus nostris, sed propter adnatam cæcitatem intellectus
nostri. Cumq; tria numerentur perfecti Theologi requisita
sc. ut sit *διδασκικός* sit *ἐλεγκτικός* & sit *ἐξηγητικός*, in omni-
bus tribus Philosophia usum præbet non vulgarem, tum sup-
peditando explicationem terminorum simplicium, non mere
biblicorum *ἀπολόγησι* in scripturis occurrentium, vel Ecclesi-
asticorum talium quæ tamen *κατὰ διάνοιαν* in pandectis sacris
reperiuntur, tum etiam promovendo intelligentiam & con-
firmationem secundariam quæstionum, quas vocant mixtas,
in refutatione deniq; & exegefi adornanda, quantum juvet
Philosophia, rerum harum non ignaris in propatulo est.

THEOREMA III.

Non Entis nulla est scientia, nulla predicata.

Nihil est frequentius in ore Philosophorum, quam quod
Non Entis nulla sit scientia, nulla operationes, nulla proprietates;
In expositione tamen omnes non conveniunt. Cumq;
propositio hæc, potentiã sit duplex, ex eo quod hic uni sub-
iecto duo tribuantur predicata, eandem per duo membra ex-
plicare juvabit. Quoad prius, sciendum, quemadmodum
Vox *Entis* *bifariam* accipi consuevit (α) nominaliter, quod
Essentiam ab actuali existentia abstractam denotat, includitq;
tum Ens actu tum etiam potentiã. (β) participialiter, pro-
ut denotat Ens actu existens: juxta illud: participia denotant
actus suorum verborum. Ita vi regulæ, *quot modis dicitur*
num oppositorum, tot modis dicitur & alterum, necesse est
vocem *Non Entis* dupliciter accipi. 1. ut opponitur Enti in
priori significatione, tum id dicitur Non Ens, quod nec est

jan

jam, & cui repugnat esse. 2. In posteriore acceptione per Non
Ens intelligitur id, quod actu in rerum natura non existit. Ut
vero constet quid per Non Ens in theoremate intelligatur,
dico, licet duplicem istam acceptionem apud Arist. reperiri
clamitent, tamen per Ens intelligitur id tantum apud accu-
ratiōes, quod actu existit, unde liquet quid sibi velit no-
strum Non Ens. Intellige autem Non Ens tam de Non Ente
per complexionem, seu de propositione falsa, quam de Non
Ente simpliciter. Tantum ad Subjectum. Quantum ad mem-
brum posterius, prius predicatum ita accipe, Non Entis
non dari scientiam positivam, affirmantem, per se & directam,
quin setur negativa, destruens, per accidens & indirecta nul-
lum est dubium. v. g. in Logica removetur propositio fal-
sa, in Physicis destruitur vacuum, in Metaph. Ens Negativum,
fictum & potentia, agiturq; tantum indirecte, quatenus Ens
negativum cognoscitur negatione Essentia positivae. Nec cir-
ca intellectum posterioris predicati error oritur, observan-
dum prout vulgo distingui solet inter predicata essentialia
seu quidditativa & inter accidentalia seu contingentia; de
posterioribus intelligendum hoc πολυθρύλλητον Philosopho-
rum non de prioribus: nam predicata quidditativa sunt
aeternae veritatis & conveniunt subjecto licet non existat; po-
sito enim nullos hodie esse leones, vera tamen esset haec pro-
positio: leo est substantia &c. Cumq; de predicatis acciden-
talibus regula intelligatur, inde vulgo ita enunciari conse-
vit: Non Entis nulla sunt accidentia. Sed nec adhuc omnis
sublata est difficultas, plurima namq; adduci possunt exempla,
in quibus de Non Ente revera predicantur predicata acciden-
talia. v. g. Eclipsis futura est cognita, sanitas agro est ama-
bilis, finis nondum obtentus dicitur appetibilis &c. Verum
observandum predicata seu accidentia esse in duplici differen-
tia, quaedam sunt denominantia intrinsece, quae non Enti in
tempore praesenti convenire nulla ratione possunt, quibus ve-
ro non repugnat esse & certo sunt futura conveniunt in
tempore futuro, ut dies extremus erit horribilis, aut quae a-
liquando fuerunt, in tempore praeterito, ut Turnus est victus

ab

ab Aenea; alia autem sunt extrinsece denominantia ab actu in-
tellectus phantasiae aut appetitus, haec etiam Non Entibus com-
petunt, ut patuit in datis exemplis: nam possunt haec facultates
exercere suos actus etiam circa res non existentes & dare
ipsis predicata realia. Hanc distinctionem nobis suppeditat
Arist. lib. 9. Meth. c. 7. *Predicata privativa* censentur haec ead-
dem distinctione, sunt enim in duplici differentia: quaedam
privativa sunt talia, ut opponantur terminis positivis denomi-
nantibus intrinsece, ut caecus videnti, ubi utrumq; est intrin-
sece denominativum, juxta regulam: *habitus & privatio sunt
circa idem*; quaedam vero talia, ut opponantur terminis positi-
vis extrinsece denominantibus, & sic etiam ipsa extrinsece de-
nominantia appellantur.

THEOREMA IV.

Multiplicatis existentis, non multiplicatur suppositum.

IN expositione hujus quoq; theorematum primus labor expli-
cationi terminorum erit impendendus. Terminum quod atti-
net *existentiae*, licet non ignoraverim valde acutè ab acutissi-
mo Scaligero dictum lib. 1. de Plant. *Essentiam aliud esse &
aliud existentiam, solis claris ac divinis ingenis compertum
est, qui abducto a factionibus animo, soli student veritati.*
Cui consentit Zabarella *existentiam vocans additum quiddam
Essentiae.* Salvà tamen autoritate tantorum virorum, nixus
aliorum autoritate & rationibus, dico per *Existentiam* nihil a-
liud intelligi, quam *Essentiam actualem*; cumq; *Essentia* nulla
datur nisi actualis, *Existentiam* & *Essentiam* Synonyma esse
sequitur. Porro observandum *Existentiam* esse, vel *totius*,
vel *partis*, vel ut alij: *Completam* vel *incompletam*. Intelli-
genda in theoremate, *Existentia* in sensu posteriori, partes
namq; cum sint Entia, utiq; etiam propriam habebunt *Exi-
stentiam*. *Suppositum* denotat substantiam singularem, in-
communicabilem, per se, independentem & ultimam substi-
tentem, estq; simplex, unius completæ Essentiae & naturæ, qua-
le homo, vel *compositum*, quod constat pluribus Essentiis,

B

qua-

quarum neutra ad constitutionem alterius per se est ordinata, ut ferrum ignitum, de utroq; loquitur Theorema. Multiplicatio hic multitudinem diversarum existentiarum indigitat, ut sensus sit: licet dentur plures Existentiæ partiales, non tamen fiunt plura supposita, cui oppositum est principium philosophicum Photinianum tale: Multiplicatis Existentiis, Multiplicatur suppositum. Falsitas principii Photiniani & veritas propositi Theorematis apparebit, si perpendantur exempla sequentia: *anima & corpus, diverse licet existentie; unum constituunt hominem. Idem homo hoc tempore nulla scientia potest esse præditus, alio tempore multis gaudere habitibus, manet tamen unum suppositum, aqua sal mixta, ferrum ignitum, animal gestans uterum: diverse Existentiæ, unum suppositum.*

THEOREMA V.

Prædicamentorum doctrina in Logica, objecti ejusdem præcognitioni inservit.

Quot & quid sint prædicamenta, inter Logicos ut plurimum convenit; an vero ad Logicam spectent, & si id, quo jure? vehementer adhuc controversatur. Ramum & Ramæos qui consulerit, audit ea in Logicis plane esse aliena, quod innuit lib. 4. Schol. Dial. c. 1. inquit: *Omne Logicum est vel Inventionis vel judicii; atqui neutrum de prædicamentis dici potest; & Cujus minorem probat prolixè in sequentibus, voluntq; Ramæi quod in ijs vere Logicum est Ramum suo loco sc. inventionis non neglexisse, videatur Heizo Buscherus lib. 1. Harm. Log. & Beuthuf. in præd. log. part. 2. sed quis est qui non videt Ramum & Ramæos sibi contradicere? Primò enim dicunt prædicamenta non pertinere ad Logicam; mox autem quod in locis inventionis proprijs tradi possint. Suo etiam seipsum jugulat gladio Sluterus, dum pro Ramo, argumentatur hoc modo: *Quæcumq; disciplina agit de notionibus secundis &c. illa non agit de rebus, Logica id facit. E. Quomodo ergo prædicamenta in locis Inventionis tradi possunt? In schola Peripatetica percipiæ authores partim fluctuantes, utpote Zab. lib.**

2. c. 5. de nat. log. qui inquit: *Doctrinam prædicamentorum diverso respectu esse partem Logicæ & non esse.* Alij, inter quos est F. Crellius, docent prædicamenta pertinere ad Metaphysicam *χρησι* seu possessione, ad Logicam vero *χρησι* seu ratione usus; Alii vero rectius sibi sapere videntur, qui Doctrinam prædicamentorum partem Logicæ Essentialem esse contendunt, unde apparet Peripateticos in adornandis systematibus Logicis, dum eam dividunt in partem communem & propriam, communem apud Arist. dicunt absolvi tribus libb. sc. libro *Categoriarum, de Interpretatione & prioribus Analyticis.* Sed recta via incedunt *ἐκδεχῶν* à studiis partium liberi, qui doctrinam de prædicamentis ad Logicam admittunt, sed ad tractatum ejus præximalem, ubi m. Objectum operationis Logicæ est præcognoscendum, ut sciat eo melius Tyro Logicæ, latitudinem rerum, tanquam in tabella sibi propositam, quibus deinceps notionem Logicæ sunt imponendæ, quod cum egregiè præstent prædicamenta, non male rationes subduxisse videntur ij, qui hunc ijs locum assignavere. Hæc fuit quoq; mens Zabarellæ, qui loco citato dixit prædicamenta partim spectare ad Logicam, si universam tractationem Logicam spectaveris sive ea principalis sive præcæmialis sit; non spectare ad Logicam, si de principali tractatione quæ est de notionibus secundis quæstio sit. Reliqua reservantur disquisitioni publicæ.

THEOREMA VI.

Negationis extra Syllogismum & in Syllogismo non semper eadem ratio est.

Syllogismus salvatoris qui extat Joh. 8. *Qui non est ex Deo verbum Dei non audit; Judæi non sunt ex Deo. E. non audiunt verbum Dei; item ille Apostoli: Illi non manent nobiscum qui non sunt ex nobis; Pseudo Apostoli non manent nobiscum. E. non sunt ex nobis.* & in tali forma alij occasionem dederunt dubitandi; an omne enunciatum quod extra Syllogismum est negatum, tale quoq; sit in Syllogismo, & qui.

quam aliorum animantium. (7) quia nullus hominum in hac vita reperitur, qui perfectissima virtute claruerat, *sublatâ autem causâ tollitur effectus*. Experientia: vitam humanam miseris esse obnoxiam, calamitatibus implicatam varijsq; perturbationibus agitatam quis nescit, imo in ijs, qui in serie feliciorum celebrantur, nihil præter inanem auram, præter umbram & fumum exitit, omnesq; vitam hanc flentes auspicamur & fallaci quadam vitæ umbra deludimur. Testimonia Sacra: ut Eccles. xl. 1. 2. 3. 4. 5. Job. xiv. 1. 2. Ecclesiastis 1. 2. Joh. xv. 1. 20. Heb. xiii. 14. Rom. viii. 22. Salomo major erat omnibus regibus terræ divitijs & sapientiâ, ut dicitur, II. Par. ix. 22. Iple tamen confitetur Ecclesiastis cap. 1. 13. *vedi omnia que sunt sub sole, que ecce omnia sunt vanitas & afflictio spiritus*. Testimonia hujus rei prophana possent adduci innumera. Notum est Solonis illud apud Herodot. lib. 1. & Plutarch. in Solonem, quod Cræso suggessit, ne beatum quemquam diceret, dum hanc vitam viveret. Homerus inquit: *ὄνδεν ἀκιδνὸς πορταία τρέφει ἀνδρῶπιον*. Pindarus: *πᾶς ὁ ἀνδρῶν ἐξυμφορὰ καὶ οὐκ οὐκ ἀνδρῶν*. Octavius Augustus, qui cum Jove imperium divisisse sibi videbatur, teste Seneca c. 5. brevitate vitæ, non desit quietem sibi precari & vacationem petere a Republica. Possent, inquam, his adhuc longe plura addi; vetum cum ad singula hæc facilis sit responsio, affirmativa quæstionis est verior, quia multis probari potest argumentis dari virtutem & inde manantem operationem, in qua felicitas civilis collocatur, unde inverti potest argumentum tertium a ratione allatum, & inferri contrarium, hoc modo: *positâ causâ ponitur effectus; Atqui datur virtus & inde resultans operatio virtuosa. E. & Summum Bonum. Posterio-rem, quod concernit, quæstionem, in quonam S. B. consistat, authores non minus variant*. Aug. lib. 9. de Civ. Dei c. 1. perhibet Varronem quondam hac de re 288. numerasse sententias, non quæ essent, sed quæ esse possent. *Haurit unusquisq; inquit Arist. 1. Eth. c. 5. opinionem suam de Summo Bono, plerumq; ex vitæ genere & instituto, quod ipse sectatur*. Qui ergo voluptatibus dediti sunt, in voluptate corporis S. B. collocant, quod

quod etsi pecudum magis quam hominis bonum est; pecudibus enim & belluis laxior venter est, quam homini, hoc tamen nomine commendatur quod nonnulli, m. qui in magna constituti sunt dignitate, rectius sæpe non sapiunt, quos nihil mirum, vulgus si imitatur: *Quicquid enim*, ait Arist. 2. Pol. c. 8. *apud civitatis principes habetur in pretio, id necessarium est & aliorum civium opinionem sequi*. Sed cum hæc voluptas 1. Deo sit exosa. 2. bestiis similes reddat. 3. honestas actiones impediatur. 4. hominem privet judicio, mentemq; excœcet. 5. omnes animæ potentias contaminet. 6. corpus corrumpat. 7. & deniq; fortunæ bona destruat; S. B. nomine venire nequaquam potest. Divitijs qui inhiant, in ijs felicitatem ponunt, ast cum non sint, 1. bonum *περὶ τὸν ἄνθρωπον* h. e. humana industriâ comparabile, sæpe namq; fit, ut in labore assidui inanes culmos excutiant, nec 2. propter se expetuntur, 3. a fortuna dependeant. 4. nec seipsis sunt contentæ: *eternim quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aqua*. 5. Quod pessimi quiq; dicelcant, teste Theog. Nec 6. sunt bonum communicativum: nam facilius aquam ex pumice expresseris, quam ex divitis manu nummum, qui, ut jocatur Plautus, *vel famem utendam, si roges, non sit daturus*. Nec deniq; 7. bonum difficulter mobile, fortunæ enim sunt ludibria. Et ut paucis multa, brevitati studens, comprehendam, S. B. neq; consistit in honore, potentia aut dignitate. Nec in habitu virtutis, sed in sola actione virtutis non interrupta, Sed ad ultimum usq; vitæ *halitum continuata*, huic requisita Summi Boni a Philosopho recensita verè competunt, utpote quod sit 1. summum & perfectissimum 1. Eth. 7. (2) propter se expetibile 1. Eth. 3. (3) Hominis studio & industriâ comparabile 1. Eth. 4. (4) proprium & domesticum 1. Eth. 5. (5) se ipso contentum 1. Eth. 5. (6) multis commune non quibusdam proprium 1. Eth. 9. (7) sui communicativum. 1. Eth. 5. (8) Divinitus datum ac divinum. 1. Eth. 9. (9) non violentum. 1. Eth. 3. (10) honorabile. 1. Eth. 12. (11) Difficulter mobile. 1. Eth. 3.

Sed Deo unico Summo nostro Bono sit laus & gloria in secula secula nunquam terminanda.

Venerabili & Præstantissimo VIRO JUVENI,
DN. LAURENTIO LITHOVIO, Bothniensi,
Philosop. Candidato dignissimo, pro summis honori-
bus publicè disputanti, amico per dilecto, licet
occupatissimus applaudere volui:

Visa mihi fuerat duplex te ambire LITHOVI
Sponsa simul: quæ sunt Eusebie & sophia.
Illam junxisti primum tibi: forte relictam,
Se putat hæc: ergò jungis utramq; tibi.
Alteram l'is oritur, cui sis jungendus amica;
Upsalia, aut urbi huic in patria, Abodica.
Hæc tibi prima fuit studiorum mater Aboa:
Huic super inducta est, altera at Upsalia.
Ergò suum meritò natum repetit Aboa:
Atq; tibi gaudens laurea ferta parat.
Tu tamen ambabus, proles gratissima, honores
Quos capis, acceptos, dulcis amice, refers.
Utraq; & in laudes conspirat: & optat ut annos
Nestoreos, Christus te superesse velit.

hoc ludicro schediasmate,
MARTINUS MILTOPÆUS,
Acad. Ab. h. t. Rector.

Pereximie DN. LITHOVI, amicorum Unio.

EX illo ferè tempore quo infelicis ævi æru-
mois Parens meus subductus est, non tantum
ipsæ studiorum radices vilæ sunt fore instabiles,
sed levem ex illis quem obtinebam fructum
amariorem fecit, partim quorundam severior
censura, partim occulta mala quæ indies gras-

fabano

fabantur. Interim ut nihil à parte omni misere-
rum existit, ipsiusq; innocentia indicium quasi
est, si quæ contemptus feruntur & invidia, ita
penitus jacentem paterne erigere voluit Deus
ille supremus ac Numen ineffabile, qui blandi-
oribus seculi moribus excussis, dignissimæ rei
inter mortales amorem, illibata nimirum sapi-
entia, & secretæ tranquillitatis conscientia,
excitavit. Hinc ergo factum est, ut veram in
hoc mundo vitam judicem, quæ & minimum
habet vanitatis, & ambitionem demit omnem,
& bonæ mentis beatæq; mortis exempla me-
ditari quotidie, & eruditionem inter pulcher-
rimum, virtutem inter præstantissima numerare
docet. Sed nec illud vulgari fortunæ nomen
est, fidum quendam habere amicum ac labo-
rum socium, in cuius pectus per jocos per seria
transire possis liberè, vel cum opus, (vavitate
quadam cordis frangere & fallere improbita-
tem mundi degeneris, vel contentione pari,
studia literarum, percolere. Qua etiam in
parte me satis felicem prædico, cui Tua jam per
biennium vel quod amplius contigit consuetu-
dine frui, quam etiam in posterum duraturam
confido, non quòd solet migrantium animis
emigraturam; quot interea genuina fidelitatis
ac fraternitatis exempla præstiteras mihi, non

B

est

est quod repetam, omnium gratias non facio
quidem nunc, acturus in perpetuum quavis oc-
casionē. De cætero Gradualementem hanc Disputa-
tionem, ob varietatem rerum & acumen, ipsi⁹q;
styli amabilem facilitatem, non laudo solum,
sed late extollo supra pluriūm scripta, quæ
vel vocabula habent absq; delectu congesta,
resq; tales quæ ruunt culpa universorum. Igi-
tur cum statim, in tot laborum præmium re-
gina rerū *sapientia* diligentiam Tuam coronan-
dam duxit, pergas virtute Tua, primum sco-
pum, Gloriam Dei; alterum, Parentis senio fes-
sæ desiderium, fratrum & amicorum vota, ju-
giter attingere: De novis porrò cum nihil ha-
beam nisi quod variæ prodeant consultationes,
ut solet fieri inter varia capita, hac vice deme-
rebor silentium, Tantum dico si ex inconcin-
na literarum forma imbecillitatem reliquam
videris, condonanda censebis quædam huma-
nitati, ignorantia quædam, festinationi omnia.
Vale mi alter Ego quam diutissime.

Scriptis tuis

D. ACHRELIUS.